

Petrus de Vinea

*Ep. VI 16 (Dignum esse
decernimus et consentaneum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 16 (Dignum esse
decernimus et consentaneum...)*

1220-1250

Litterae dispensationis super defectum natalium.

1. Dignum esse decernimus et consentaneum rationi, ut hii, quos interdum in legitimis actibus defectus natalium impedit legitimationis honore, per principem reparentur: etsi quando super hiis imperialis fauor fidelium suorum supplicatione requiritur, liberaliter largiatur. 2. Inde est, quod cum magister... de ..., fidelis noster, pro legitimatione filiorum suorum, quos ipse, dudum in sacris ordinibus constitutus, ex B. de eadem terra muliere soluta se asserit genuisse, maiestati nostrae humiliter supplicauit, nos supplicationibus suis benignius inclinati, predictos... de plenitudine potestatis nostrae et ex certa scientia eos spurios esse scientes, legitimamus; et ad omnia iura legitima restituimus ut, tamquam legitimi de legitimo thoro nati, in bonis paternis et maternis, quae feudalia non existunt, succedant, et ad omnes actus publicos et ciuiles honores, si se casus ingesserit, admittantur, et in omnibus aliis suam libere prosecui ualeant actionem, obiectione prolis illicitae in posterum quiescente et lege aliqua non obstante, et ea precipue, quae legitimari spurios nisi ex certa scientia non permittit. 3. Ita tamen, quod uicesimam partem prouentuum omnium bonorum, quae predictae legitimationis beneficio ad legitimos eosdem prouenerint, singulis annis reddantur curiae nostrae, in recognitionem gratiae, quam super hoc eis duximus indulgendam. 4. Ad huius autem rei memoriam, et cetera.